



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Elevatio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

tum sacrum corpus vulneratum agglutinarus, profuit] collocatur in terra, affigitur Cruci.

Elevatio.

Sub *Elevatione* Hostiæ JESUS meus cum Cruce in altum elevatur, quæ in subjectam scrobem cum tanta violentia intruditur, ut totum sacratissimum corpus ideo horrendè concussum ac quassatum, manibus ac pedibus simul fissis ac laceratis, ineffabiles cruciatus sustinuerit, Adoro autem ego crucifixum meum JESUM cum summo fervore & stupore quasi extatico, ob tantam hominum crudelitatem, & Dei erga homines amorem.

Dum *Calix elevatur*, video JESUM meum copiosè è vulneribus & toto corpore sanguinem profundentem in terram, quem humillimè & devotissimè adoro, & video omnes guttas ab Angelis cum summa veneratione colligi.

Formationes Crucum.

DUM prosequor *Canonem* à verbis: *Unde memores*, & expando manus, facioque cruces varias. Video JESUM meum expansis brachiis omnes ad se invitantem. Adverto dolorem ejus augeri ob afflictam matrem, blasphemias crucifigentium secum crucifixorum & adstantium. Cruces si quinque faciam, recolo quinque sacra vulnera. Si tres, cogito tres tam diræ mortis causas esse scilicet justitiam Dei Patris, amorem Dei Filii, malitiam putidi & vilis peccatoris. Item una voluntate trium divinarum Personarum opus redemptionis peractum esse.